



quadratus versus iambicus acatalectus

TER. MAUR. GL VI. 2273 sqq.

sed hic trimetrus quando duplicem pedem
a capite sumet, tunc quadratus dicitur,
idemque dictus est et octonarius.
ante ergo versum collocabo iambicum:
(Catull. 4. 1)

‘phaselus iste quem videtis, hospites’;
quadratus iste talis effici potest:
‘adest celer phaselus ille quem videtis, hospites’.

APHTON. GL VI 133. 34 sqq. versus trimeter iambicus, qui et senarius, adiecta sibi ad initium dipodia in tetrametrum, quem et octonarium appellant, vertetur. feritur autem dipodiis quattuor, sicut trimeter tribus, quem a numero pedum, ut diximus, nostri senarium, a numero vero percussionum trimetrum Graeci dixerunt. exemplum ergo trimetri iambici erit: (Catull. 4, 1)

phaselus ille quem videtis, hospites;

hic quadratus ex trimetro efficitur sic:

adest celer phaselus ille quem videtis, hospites.

DIOM. GL I 504. 13 sqq. sane huic metro ternario (*scil.* iambico) si accesserit quarta dipodia, fit versus quadratus, qui per combinationem quater feritur, eodem recipiens pedes quos iambicus ternarius, aequae tragediae comoediaeque conveniens; et habet vero in se catalecticum et acatalect[ic]um. in hoc metro tam inseritur in fine pariambus quam excluditur choriambus. [M.D.N.]